

# FLORA.

55. Jahrgang.

N<sup>o</sup> 31.

Regensburg, 1. November

1872.

**Inhalt.** Dr. J. Müller: Lichenum species et varietates novae. Fortsetz. — A. Geheeb: Bryologische Mittheilungen. — C. Hasskarl: Chinakultur auf Java. — S. Kurz: Eine kitzliche Prioritäts-Frage. — Preisaufgabe. — Personalnachricht. — Offerte. —

## Lichenum species et varietates novae,

auctore Dr. J. Müller.

(Fortsetzung.)

15. *Rinodina nigrella* Müll. Arg. Thallus subnullus v. sparse frustulosus, cinereo-albus; hypothallus distinctus deficiens. Apothecia  $\frac{3-5}{10}$  mm. lata v. demum  $\frac{5-7}{10}$  mm. diametro attingentia, sessilia, plano-convexa, albo-marginata, atra, opaca, madefacta concoloria v. viridescenti-nigra, mox convexiora, demum turgida, semper intus albida et mollia; margo integer v. leviter crenatus, mox pro parte reclinatus et disco tumescente subobtectus, pro parte in proprium nigrum mutatus. Lamina et hypothecium hyalina, epithecium nigricanti-olivaceum; paraphyses conglutinatae, superne incrassatae et articulatae; asci circ. 50  $\mu$ . longi. Sporae in ascis octonae, 14—16  $\mu$ . longae, utrinque rotundato-obtusissimae, medio vix constrictae et latiuscule zonato-fasciatae, dimidio v. paulo ultra longiores quam latae.

Juxta *Rinodinam Bischoffi* locanda est, quaecum sporis convenit, sed differt apotheciis mox undique nigris, madefactis haud fusciscentibus, margine albo nec olivaceo-fusciscente. Apothecia primo intuitu „Biatorinae“ lenticularis formam nigritam simulant, sed margine thalode albo v. albello mox a disco fere omnino obtecto sub lente, saltem statu madefacto, statim discernitur. Paraphyses cum ascis clavato-obovoideis solutione aquosa jodina sordide coerulescentes.

Habitat ad saxa dolomitica montis jurassici Re-culet, altit. circ. 5000-ped., cum Polyblastia ventosa Arnold (gonidiis hymenialibus destituta) et Thelidio hymenelioides Körb.

— —  $\beta$  *insularis* Müll. Arg. Apothecia insulatim co-cervata mutuaque pressione angulosa saepeque circiter dimidio majora.

Habitat in vicinitate formae genuinae, sed in aliis saxis dolomiticis superficie plus minusve obsolete alveolato-inaequali praeditis.

16. *Rinodina subgranulata* Müll. Arg. Thallus effusus, fuscescenti-cinereus, madidus olivaceo-virens v. etiam siccus et madefactus lurido-cinereus, tenuiter tartareus, minutissime granuloso-areolatus, areolae angulosae v. subgranulosae, confertae, unde thallus primo intuitu granuloso-farinosus; hypothallus indistinctus. Apothecia  $\frac{3-5}{10}$  mm. lata, subinnato-sessilia, juniora margine crasso thallose lurido-albicante integro v. crenulato cincta, evoluta livido-fusca v. livido-nigricantia, planiuscula, margine tenuiore haud prominente lurido-albido praedita. Lamina et hypothecium hyalina, epithecium pallide fuscum. Paraphyses modice conglutinatae, superne incrassatae, apicem versus bis v. ter articulatae. Asci subcylindrici. Sporae in ascis octonae, 2-loculares, fuscae, 11—15  $\mu$ . longae, 4—6  $\mu$ . latae, 2—3-plo longiores quam latae, utrinque obtusae, medio vulgo leviter constrictae, dissepimento tenui praeditae.

Juxta *Rinodinam Dubyanoidem* Arn. Lich. Ausfl. 9. p. 27 locanda est. Sporae pro parte exacte ut in *R. crustulata* Arn. in Fl. 1872 p. 39, i. e. *R. controversa* f. *crustulata* Mass. Lich. it. p. 161. n. 296, ex altera parte ambitu paulo latiores ut etiam in *Buellia Dubyana* Körb. Par. p. 188 occurrere solent: — Margine apotheciorum albicante nec cervino-fuscescente et thallo peculiariter et crebre subgranuloso-areolato a proximis distinguitur.

Crescit ad saxa calcarea soli optime exposita montis Salevae Minoris supra Pas de l'Echelle, cum „*Biatorina*“ lenticulari et *Amphilomate* murorum v. *gyalolechioide*.

17. *Lecanora* (sect. *Aspicilia*) *subnivea* Müll. Arg. Thallus tenuiter tartareus, niveus v. coerulescenti-niveus, rimulosus v. tenuiter areolatus, margine saepe subarachnoideo-effusus, interdum linea coerulescenti-nigra limitatus; areolae contiguae, planae, mono-tricarpicae, laevigatae, opacae; hypothallus ater praesertim inter areolas hinc inde perspicuus. Apothecia  $\frac{3-4}{10}$  mm. lata, thalli

areolis immersa, angulosa, thallo ipso marginata v. demum margine thallino distincto haud emergente sed a thallo ambiente rupto-libero obtuso cincta, obscure fusca, madefacta pallidius fusca. Lamina et hypothecium pallida, epithecium pallide fuscum; paraphyses conglutinatae. Asci late cylindrici, circiter 80  $\mu$ . longi, 25  $\mu$ . lati, late rotundato-obtusi, apice pachydermei. Sporae in ascis octonae, irregulariter biseriales, circ. 15  $\mu$ . longae, 8—11  $\mu$ . latae, i. e. ambitu late ellipsoideae, utrinque late obtusae, hyalinae et simplices.

Thallus tenuis, hinc inde saxum nubiloso-maculans, fertilis autem paullo crassior, solutione aquosa jodina distincte coerulescens, dein decolorato-vinoso-tinctus, K autem non mutatus. Lamina J pulchre coerulescit. — Species elegans, juxta *L. cinereo-rufescentem* locanda, a qua thallo et apotheciis differt. A *L. critica* Nyl. in Flora 1864 p. 290 et Suppl. Lapp. p. 138 apotheciis haud emergentibus triplo minoribus differt, et a *L. deplanatula* Nyl. in Fl. 1864 p. 289 et Suppl. Lapp. p. 139, quacum etiam reactione jodina thalli convenit, apotheciis et praesertim sporis parvis distinguitur. — Ambitus sporarum ut in Hepp Abbild. d. Spor. d. Flecht. Europ. t. 85 n. 840.

Habitat in frigidis montis Dent de Mœrcles, loco dicto „Grande Vire,“ ubi leg. cl. et amic. Cas. de Candolle.

18. *Lecidea* (sect. *Biatora*) *coarctata* Nyl. (Prodr. p. 112.) v. *bicolor* Müll. Arg. Thallus tenuiter tartareus, crebre subgranuloso-areolatus, virescenti-albidus, areolae subcontiguae. Apothecia  $\frac{3\frac{1}{2}-5}{10}$  mm. lata, plano-convexa v. demum plana, primum margine pallido integro cincta, dein margine tenui albo crenulato demum evanescente ornata, discus pulchre carmino-carneus. Sporae 14—18  $\mu$ . long.

Varietas pulcherrima, nec cum *Zeora coarctata* \* *rosella* Korb. Syst. pag. 133, nec cum *Zeora coarctata*  $\gamma$  *rosella* Krph. Lichenflora Bayr. p. 165 (homonyma, sed non synonyma) confundendus. Apothecia nunquam urceolata, nec roseo-marginata.

Habitat ad saxa arenacea prope Bernam: leg. et comm. cl. et amic. Prof. Dr. Fischer.

19. *Lecidea* (sect. *Biatora*) *dodecamera* Müll. Arg. Thallus effusus, tenuissimus, leprosus, cinereo-virescens v. subevanescens, sublaevigatus, hypothallo distincto destitutus. Apothecia  $\frac{3-4}{10}$  mm. lata, adnato-sessilia, patellaria, livido-fusca, mollia, intus pallidiuscula, subplana sed crassiuscula, margine obtuso primum subpallido dein nigrescente parum vel non prominente cincta. Lamina circ.

45—55  $\mu$ . alta, hyalina; hypothecium hyalinum; epithecium pallide fuscescens; paraphyses concretae, asci oblongato-obovoidei, apice late obtuso pachydermei. Sporae in ascis saepius 12, caeterum 12—15, simplices, hyalinae, tantum 6—9  $\mu$ . longae et circ. 5  $\mu$ . latae, i. e. vulgo circiter dimidio longiores quam latae, ellipsoideae, utrinque late rotundato-obtusae. Gonidia hyalino-pachydermea, circ. 8—10  $\mu$ . diametro aequantia, laete viridia.

Thallus fere obsoletus v. saltem tenuis et subleproso-secedens. Apothecia fere illa minora simulant *Biatorae Cadubriae* Mass., sed madida mollia, v. pallidiora *Biatorae fusciscentis*, sed asci 12-15-sporei et ambitus sporarum alius. Paraphyses cum ascis solutione aquosa jodina pulcherrime coeruleo-tinctae. A *Biatora exigua* Fr. s. *B. Decandollei* Hepp jam colore thalli et apotheciorum et ascis 12-15-sporeis differt. *Lecidea attingens* Nyl. (in Flora 1868. p. 477) autem similiter et insuper ambitu sporarum differt. Sporae visae bene evolutae et K etiam tractatae simplices erant (ergo non *Lecanora cerinella* Nyl. Lich. du Jardin du Luxembourg in Bull. de la soc. bot. de France 1866 p. 370), et lamina ipsa hoc adminiculo colorem non mutavit. A *Lecidea epiphaea* Nyl. Suppl. Lapp. p. 147 etiam diversa. Ambitus sporarum ut in Hepp Abbild. Spor. Flecht. Europ. t. 94. n. 826. — Numerus sporarum in quoqueasco receptarum *Lecanoram Sambuci* Pers. et *Biatorinam sambucinam* in mentem revocat. Lichen caeterum valde modestus at structura apotheciorum distinctissimus.

Habitat ad corticem Pini pectinatae parum anno sae in monte Salève prope Genevam ubi parcissime legi.

20. *Lecidea* (sect. *Biatora*) *prasinella* Müll. Arg. Thallus corallino-v. granuloso-leprosus, siccus obscure viridis, madefactus intense prasinus. Hypothallus indistinctus. Apothecia conferta v. hinc inde confluentia,  $\frac{3-5}{30}$  mm. tantum lata, juvenilia jam convexa et immarginata, evoluta alte convexa, fere globosa, basi nonnihil contracta sessilia, e livido viridi-atra, intus concoloria sed inferne grisea, mollia, laevia, opaca. Lamina 25—30  $\mu$ . tantum alta, lurido-virescens; epithecium pallide olivaceo-fuscescens; hypothecium incolor. Asci circ. 18  $\mu$ . longi, anguste obovoidei, superne late rotundati et pachydermei. Paraphyses conglutinatae, superne subincrassatae, haud articulatae. Sporae in ascis octonae, hyalinae, simplices, perexiguae, 5—7  $\mu$ . longae,  $1\frac{3}{4}$ —2  $\mu$ . latae, cuneato-obovoideae,  $2\frac{1}{2}$ —5-plo angustiores quam longae.

Thallus fere ut in *L. erysiboide* Nyl. Scand. p. 208 et Arn. Exs. n. 280, quae apotheciis et sporis longe distat — Prope *Biatoram phaeostigma* Körb. locanda est, a qua pluribus differt, e. gr. colore apotheciorum et laminae, et sporis minoribus et angustioribus. — *B. micrococca* Körb. apotheciis, lamina et forma ascorum distincta est. — *B. sarcopisioides* Anzi n. 61 dein gaudet sporis majoribus 1—2-ocularibus, lamina haud livido-virente et thallo alio. — Caeterum nonnullis a cl. Nyl. in Lich. Scand. Prodr. et Suppl. et in Flora descriptis, ut *L. apochroellae*, *botryocarpae*, *admixtae* et *clavuligerae* accedit, sed ab omnium descriptionibus bene differt. — Lamina J sordide coerulescit, K autem violaceo-tingitur. Ambitus sporarum ut in Hepp Abbild. Spor. Fl. Europ. t. 56. n. 487.

Habitat ad corticem truncorum Laricis, in silvula proxime supra vicum Bovernier sita, inter Martigny et Sembrancher, Vallesiae inferioris, ubi nuperius parce legi.

21. *Lecidea* (sect. *Lecidella*) *enteroleuca* v. *fumosa* Müll. Arg. Thallus tenuis v. fere obsoletus, grumoso-leprosus, fumoso-nigricans. Apothecia adpressa, tenuiter marginata, demum convexiuscula et immarginata, opaca.

Varietas colore epithecii, ascis, paraphysibus et forma et magnitudine sporarum cum *Lecidea enteroleuca* v. *euphora* optime quadrat, sed extus ob thallum tenuiorem et obfuscatum vix recognosci potest.

Habitat ad trabes et ad asseres sapineos vetustos prope Genevam, socia varietatis euphorae.

22. *Lecidea* (sect. *Eulecidea*) *deplanatula*; *Biatora deplanatula* Müll. Arg. in Flora 1870 p. 165 et 1871. p. 402 nuperius ab amic. Arnold Ausfl. 6. p. 6 (1871) dubitanter ad suam *Lecideam umbratilem* Exs. n. 438, cum *Lecidea glaucina* Rehm in litt. et *Lecidea subinfidula* Nyl. in Flora 1869 p. 295 relata fuit. Ex his nomen a cl. Nyl. editum evidenter prioritatem gauderet, si planta illius cum mea identica esset, sed planta lapponica a mea genevensi differt et forma et colore apotheciorum et sporis minoribus, unde *Lecidea deplanatula* nomen erit legitimum pro planta genevensi. *Lecidea umbrosa* Arn. enim nonnisi anno 1871 (Ausflüge p. 6 seu 1108) rite edita fuit et anteponi nequit. — Eundem lichenem antea (Flora 1871. p. 402) nimis affinem putavi *Lecideae expansae* Nyl. in Flora 1865 p. 355 et 1866 p. 86, seu *Lecideae dispansae* Nyl. l. c. 1866 p. 87, sed haec (ex specim. ab ipso cl.

Leighton benevole commun.) statim differt apotheciis exiguis nannissimis valde adpressis et margine valde tenui. *Lecidea infidula* Nyl. in Flora 1868 p. 475 autem a *L. deplanatula* differt thallo, apotheciis emersis, colore fulvo-fusco epithecii et paraphysisbus conglutinatis.

23. *Lecidea* (sect. *Eulecidea*) *subacervata* Müll. Arg. Thallus cum saxo conferruminatus, macula albescente repraesentatus. Apothecia  $\frac{2-7}{10}$  mm. lata, acervulata et simul sparsa, acervuli apotheciis 3—12 confertis mutua pressione angulosis compositi. Apothecia juvenilia prominenter marginata, concava, evoluta pro majore parte aggregata, margine nitidulo tenui subreclinato haud prominente cincta, aggregata angulosa; discus plano-convexus, siccus sub lente atro-fuscus, madefactus subater, opacus, prima fronte autem in macula thallina albida nigerrimus. Lamina sporigera 75  $\mu$ . alta, hyalina; epithecium fuscum v. pallide fuscum, tenue; hypothecium crassum, intense atro-fuscum; paraphyses conglutinatae, insigniter crassae, tota longitudine articulatae, apice incrassato fuscae, articuli saepissime  $1\frac{1}{2}$ —2-plo longiores quam lati et saepius apicem versus distincte dilatati, unde paraphyses peculiariter subnodosi; asci obovoideo-cylindrici v. subcylindrici, apice incrassato-pachydermei. Sporae octonae, 6—7  $\mu$ . longae, 4—5  $\mu$ . latae, i. e. circiter dimidio longiores quam latae, late ellipsoideae, utrinque obtusae, simplices et hyalinae.

Lamina sporigera solutione jodina aquosa statim aeruginoso-coerulescit, mox autem sordide fusco-tingitur. Paraphyses simplices aut bifurcatae tota longitudine distinctissimae,  $1\frac{1}{2}$ —2  $\mu$ . latae, v. articuli superiores ad 4 mm. usque diametro attingentes. — Juxta *Lecideam monticolam* et *L. ochraceam* inserenda est, a quibus praeter defectum thalli differt apotheciis evolutis majoribus peculiariter aggregatis et sporis valde exiguis et insuper praesertim structura valde insigni paraphysium. A *L. fusco-rubente* Nyl., quacum etiam hypothecio convenit, jam dispositione apotheciorum, et forma et minutie sporarum differt. — Species insigniter distincta.

Habitat in saxis dolomiticis montis Reculet.

24. *Lecidea* (sect. *Eulecidea*) *Reuteri* Müll. Arg. Thallus tartareo-farinosus, tenuis, continuus v. saepe ad vestigia parvula irregulariter diffusa pulveracea v. minute verruculoso-farinosa depauperatus, candide albus v. nonnihil caesio-albus, protothallo distincto destitutus. Apothecia satis numerosa,  $\frac{7-15}{10}$  mm. lata, sessilia, crassiusecula, juniora crasse tumido-marginata, tota con-

colori-atra et opaca, regularia, demum ampliora et margine minus v. vix prominente varie flexuoso v. plicato cincta saepeque in disco subconvexo nonnihil prolificando-gibbosa et praesertim marginem versus tenuiter caesio-pruinosa, semper duriuscula. Lamina circ. 90  $\mu$ . alta, fuscescenti-pallida; epithecium nigro-fuscens, distinctum; hypothecium fusco-nigrum, crassum; paraphyses conglutinatae; asci cylindrico-obovoidei. Spora in ascis octonae, 13—15  $\mu$ . longae, circiter 7—10  $\mu$ . latae; late ellipsoideae v. late ovoideae, simplices et hyalinae.

Thallus K non tingitur; lamina solutione aquosa jodina intense et pure coeruleo-tincta. — Juxta *Lecideam Muverani* Müll. Arg. in Flora 1871 p. 402 (1870 p. 165 sub Biatora) locanda est, a qua distinguitur apotheciis majoribus, caesio-pruinosis, crasse marginatis, duris quidem sed longe minus tenacibus et demum varie plicato-undulatis, lamina triente altiore et sporis dimidio majoribus. *L. rhaetica* Th. Fries differt thallo, epithecio nigro-virente et hypothecio tenui; *L. jurana* Schaer. statim recedit lamina virente et hypothecio viridi-nigro (in nostra enim lamina eolore viridi omnino caret) et apotheciis evolutis haud pruinosis.

Habitat ad parietes altos saxium calcareorum montis Reulet supra Creux de Pransioux, hinc inde sed parcissime cum *Lecidea goniophila* v. *egenea* (apotheciis minoribus, semper epruinosis, hypothecio albido et colore aeruginoso excipuli caute distinguenda) mixta. — Species cl. et amicissimo b. Reuter dicata.

25. *Lecidea* (sect. *Sarcogyne*) *fallacissima* Müll. Arg. Thallus glebuloso-verruculosus, glebulis dispersis v. subinde in crustam rugulosam subareolatam congestis, totus niveus, subtennis, demum rarescens v. evanescens, hypothallo distincto destitutus. Apothecia  $\frac{5-10}{10}$  mm. lata, saepius  $\frac{7-9}{10}$  mm. aequantia, sessilia, crasse et prominenter atro-marginata, disco intense caesio-coeruleo insignita. Lamina lata. circ. 120  $\mu$ . alta, subhyalina, v. pallida; hypothecium subhyalinum; epithecium flavido-fuscens; paraphyses validiusculae, conglutinatae; asci circ. 100  $\mu$ . longi, ampli, valde polyspori. Sporae 5—6  $\mu$ . longae, late ellipsoideae et globosae v. subglobosae.

Thallus ut in *Lecidea micropsi* Mass., *L. rhaetica* Th. M. Fries et in *Sarcogyne nivea* Krempelh., nec K nec Cl Ca colore mutatus, apothecia autem extus magnitudine et colore partium et crassitie marginis summopere similia sunt iis *Lecideae coeru-*



*leae* Krempelh. Lamina solutione aquosa jodina impure coerulescens. — Prope *Lecideam niveam* (*Sarcogyne niveam* Krph. Lichenfl. Bay. p. 212) locanda est, quacum sporis globosis et subglobosis et thallo convenit, sed apothecia sunt crasse marginata, discus insigniter caesio-pruinosis et sporae majores; apothecia caeterum sunt distincte majora. Habitu dein etiam ad *Sarcogyne platycarpoidem* Anzi Symb. p. 19 et Lich. Longob. exs. n. 359 accedit, sed haec longius distat apotheciis adpressis, madefactis rufescentibus nec immutatis et sporis multo minoribus et angustis.

Habitat in monte jurassico Reculet, ad parietes saxorum calcareorum altit. circ. 4500-pedali cum *Lecidea goniophila* v. *egenea*, *Callopismate Agardhianoide* et *Thelidio Ungerii*.

26. *Patellaria* (sect. *Catillaria*) *tristis* ♂ *subimmersa* Müll. Arg. Thallus deficiens. Apothecia  $\frac{2-4}{10}$  mm. v. raro  $\frac{5}{10}$  mm. lata, pro parte majore eorum alveolis saxi immersa v. iis arcte immerso-adpressa.

Reliqua ut in *C. trist.* v. *athallina* Müll. Arg. in Flora 1870 p. 261. Lamina sporigera, forma et magnitudo sporarum omnino ut in specie, sed apothecia subimmersa et exigua habitum alienum efficiunt.

Habitat ad saxa calcarea, loco calidissimo, supra valliculam Arderan in monte Reculet, cum *Blastenia coccinea* et *Placodio Reuteri*.

27. *Patellaria* (sect. *Catillaria*) *Aspicilliae* Müll. Arg. Thallus nullus. Apothecia in thallo crustaceo alieno sita,  $\frac{3-5}{10}$  mm. lata, nana, adpresso-sessilia, tota atra et opaca, intus infra et supra hypothecium crassum atrum grisea, juniora crasse et obtuse prominenter marginata, evoluta plana v. subconvexa, margine parum v. non prominente cincta. Lamina sporigera 40—50  $\mu$  alta, junior fuscescens, evoluta vitreo-hyalina; hypothecium crassum, atro-v. subviolaceo-fuscum; epithecium fuscum v. subviolaceo-fuscum; paraphyses paucae, cum ascis evolutis et numerosis abortivis v. junioribus conglutinatae, pressione separabiles, 2  $\mu$ . v. fere 2  $\mu$ . latae, distanter 2—3-articulatae, apice in clavam vertice obfuscatam duplo crassiorem abeuntes. Asci circ. 35—38  $\mu$ . longi, oblongato-obovoidei, apice incrassato-pachydermei. Sporae in ascis octonae, hyalinae, 2-loculares, 10—14  $\mu$ . longae, 4—4 $\frac{1}{2}$   $\mu$ . latae, medio constrictae; articuli aequales v. inferior (more Arthoniarum nonnullarum) angustior et paullo longior.



Lamina K non peculiariter tingitur, solutione aquosa autem statim violaceo-v. subcerasino-rufescit. — Proxima *P. tristi* Müll. Arg., sed lamina colore virente omnino caret et J non coeruleo-tingitur, epithecium aliter coloratum, sporae medio constrictae sunt, et apothecia caeterum parasitica. — *Lecidea episema* Nyl. in Nya. Botanisk. Notis. 1853, ex Flora 1855 p. 247 differt sporis evolutis aliter divisis et habitu et epithecio aliis. — Ambitus sporarum ut in Hepp Abbild. Spor. Fl. Europ. t. 59. n. 506. fig. ultima ad dextram et t. 85. fig. 4 ad dextram.

Habitat in thallo Lecanorae (*Aspicilliae*) calcareae v. depressae Flk. ad saxa secus rivum glaciale Dranse infra vicum Bovernier Vallesiae inferioris.

(Schluss folgt.)

## Bryologische Mittheilungen

von A. Geheeb.

### 1. *Orthotrichum cupulatum* Hoffm. $\beta$ , *Rudolphianum* Schpr.

Eine höchst eigenthümliche Form, mit doppeltem Peristom sammelte im Juli d. J. H. A. Metzler an Kalkfelsen auf dem Stoos am Vierwaldstätter-See, bei circa 1200 Meter über dem Meere. Aeusserlich mit den gewöhnlichen Formen des *O. cupulatum* übereinstimmend, zeigt sich das Peristom aus 16 Zähnen gebildet, die zu je 2 mit einander verwachsen sind, so dass eigentlich nur 8 vorhanden zu sein scheinen; mit ihnen wechseln 8, bisweilen unvollständig ausgebildete Wimpern! — Eine derartige Erscheinung finde ich weder in der Literatur erwähnt, noch zeigen sie die mir zu Gebote stehenden Original Exemplare aus anderen Lokalitäten; ich habe meine Exemplare aus Westfalen, von Heidelberg und aus Krain sorgfältig untersucht, indessen nur ein einfaches, aus 16 freien Zähnen gebildetes Peristom wahrnehmen können. — Nach gütiger Mittheilung des H. Dr. G. v. Venturi in Trient, welcher fragliches Moos als die oben genannte Varietät erkannt hat, kommen bei dieser Abtheilung von *Orthotrichum* verwachsene Zähne und inneres Peristom nicht selten vor; ja es finden sich an einem Zweige bisweilen Kapseln mit und ohne innerem Peristom! —

Bei dieser Gelegenheit erfahren wir, dass im nächsten Winter Dr. Venturi einen Theil seiner Arbeit über *Orthotrichum* zu publiciren gedenkt. —

2. *Fontinalis gracilis* Lindbg. sammelte ich auf meiner diesjährigen Rhönreise (am alten Standorte) in unsäglicher Menge

# ZOBODAT - [www.zobodat.at](http://www.zobodat.at)

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung](#)

Jahr/Year: 1872

Band/Volume: [55](#)

Autor(en)/Author(s): Müller J.

Artikel/Article: [Lichenum species et varietates novae 477-489](#)